



## Universitätsbibliothek Paderborn

### Historiae Ecclesiasticae Pars ...

HISTORIAE EC||CLESIASTICAE PARS || PRIMA, QVA CONTI-||NENTVR ||  
Eusebij cognomento Pamphili Cæsareæ Palæ-||stinæ Episcopi lib. 10.||  
Eiusdem de vita Constantini magni lib. 4.|| Oratio Constantini magni ad  
sanctoru[m] cœtu[m].|| Oratio eiusdem Eusebij in laudem Constanti-||ni  
magni ad trigesimum ...

**Christopherson, John**

**[Köln], 1569**

Praeconium Constantini in deum, & signi crucis confeßio, & pro ecclesiis &  
populis praecatio. Cap. LIII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29861**

EUSEBII DE VITA.

ad perpetuum cruciatum detrusi fuerunt, turpem præ-  
terea vitæ exitum, quo misere interierunt, sunt conse-  
cuti. Nam bellis intestinis mutuò extincti, nec nominis,  
nec generis sui vestigium reliquerunt. Quod planè non  
illis obrigisset, nisi impia illa oraculorum Apollinis diui-  
natio, vim quandam adulterinam & adumbratam, qua in  
fraudem inducebantur, in se fuisset complexa.

*Praconium Constantini in deum, & signi crucis con-  
fessio, & pro ecclesiis & populis præcatio.*

CAP. LIIII.

**T**E iam Deum Opt. Max. oro obtestorque: Sis orien-  
tis incolis clemens & propitius & omnibus provin-  
cialibus diuturna calamitate contritis, per me famu-  
lum tuum curationem adhibeas. Atque ista non sine caus-  
sa, o omniù Domine, & sancte Deus, abs te postulo. Tuo  
enim impulsu res salutares & aggressus sum, & confeci:  
tuoq; vexillo vbique hostibus opposito, exercitum ab  
illis triumphantem duxi. Quinetiam si quando Reip. v-  
sus postulat, illa ipsa tuæ virtutis ac potentiae insignia se-  
quens, contra hostes audacter procedo. Et propterea e-  
tiam tibi animum meum amore & timore ritè sincere-  
que temperatum, totum dedo. Nam nomen tuum inge-  
nuè amplector: virtutem tuam, quam multis argumentis  
declarasti, quaque meam fidem firmiorem reddidisti,  
sancte veneror. Meos igitur humeros huic operi subii-  
cere equidem maturo, vt tuam augustissimam sanctissi-  
mamque domum, quam nefarii illi & impii, graui vasta-  
tionis scelere labefactarint, in integrum restituam.

*Christianos optauit esse omnes, coegit neminem*

CAP. LV.

**P**opulum tuum pacem colere, & à seditione liberum  
vacuumque esse, pro communi totius orbis, & cun-  
ctorum hominum emolumento exopto. Qui autem  
errore ducuntur, pacem cum fidelibus pacis & tranquil-  
litatis oblectationem, læto animo capiant. Ipsa enim

re ca